Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26048
Copyright: Admont, Benediktinerstift

vine innocentie malitie sue
succensus facte discordat. sed
ab eius iudicio etiam discorda-
do non discrepat. Nam viros
iustos semper malitiose temp-
tare appetit. sed tamen hoc do-
minus ut iniuste fieri vel
iuste permittit. Hec ipsa ergo
temptationis licentia pactum
vocatur in qua et desiderium temp-
tatoris agitur. et tamen per eam
miro modo voluntas iusti dis-
pensatoris impletur. Erudien-
dos enim sicut nuper diximus elec-
tos suos dominus sepe temptatio-
ni subicit. sicut post paradysi
si claustra post tercii celi
secreta ne revelationum mag-
nitudine paulus extolli
potuisset ei sathane angelus
datus est. Sed ut prefati sumus
ipsa hac temptatione disponitur
ut qui elati perire poterant
humiliati a perditione ser-
ventur. Secreto ergo dispensati-
onis ordine unde servire per-
mittitur iniquitas diaboli
inde pie perficitur benignitas
dei. Et unde ex hoc pacto quod
cum domino ferire dicitur servus
accipi perhibetur. quia inde
obtemperat nutibus superne gratie
unde exercet iram nequissime
voluntatis sue. Servus ergo
ex pacto est quia dum vo-
luntatem suam implere per-
mittitur. iniquitas dyaboli
a superni consilii voluntate
ligatur ut electos dei sicut
dam̄ ē volens temptet et
temptando nesciens probet.

Sed quia tamdiu in hac vita
electorum usibus servit quamdiu
malitie sue nequitiam temp-
tationibus exercere potuerit hoc
autem in loco a domino non solum ex
pacto servus sed sempiternus
servus accipi dicitur. investigare
compellimur quomodo et post presen-
tis vite terminum servire eum
domino in perpetuum demonstremus.
Neque enim iam iustos celesti
felicitate pollentes adhuc temp-
tare permittitur. cum autem eorum o-
culos eternis gehenne ignibus
mancipatur quia nequaquam
in illa superna patria tempta-
tionibus erudiendi sunt in qua
iam pro temptationum labori-
bus remunerantur. Sed tunc le-
viathan iste cum suo corpore
reprobis videlicet omnibus flammis
videlicet omnibus tradetur. cum
quibus sine fine cruciatur.
Quos videlicet cruciatus dum
iusti conspiciunt in dei laudibus
crescunt quia et in se cernunt
bonum quo remunerati sunt
et in illis inspiciunt suppli-
cium quod evaserunt. Ita enim
tunc pulchra erit universi-
tas cum et gehenna iuste cru-
ciat impios et eterna felici-
tas iuste remunerat pios.
Sic enim niger color in pic-
tura substernitur ut super-
iectus albus vel rubeus pul-
chrior ostendatur. ita tunc et-
iam malos bonis ordinans deus
feliciora exhibet gaudia be-
atorum. ostensis ante eorum ocu-
los suppliciis reproborum. Et